



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Reverendissimo Et Celsissimo Prinzipi Hermanno Wernero Episcopo
Paderbornensi S. R. I. Principi, Comiti Pyrmontano, Cathedralis Ecclesiae
Hildesiensis Præposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

¶(○)¶



REVERENDISSIMO

ET

CELSISSIMO

PRINCIPI

HERMANNO

WERNERO

EPISCOPO PADER-

BORNENSI S. R. I.

PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO, CA-

THEDRALIS ECCLESIAE

HILDESIENSIS

PRÆPOSITO.



Uisquis se cum Socra-
te mundi hujus inco-
lam, & civem arbitratur, so-
los ex omnibus aestimare, &

)(2,

CO-

colere debet illos, qui virtutibus suis, & rebus præclare gestis bene de hoc mundo, & humanâ Rep. merentur. Virtute namque præditus generis humani decus est, & lumen, qui non solum sibi, sed Orbi etiam universo complurium affert utilitatum copiam. Est enim Virtus, teste Tullio, l. i. *Academ. quest. perfectionaturæ, & rerum omnium una res optima*, atque ut Plautus ait in *Amphitryone*:

*Virtus omnia in se habet, omnia
assunt bona,*

Quem penes est Virtus.

Cum ergo, PRINCEPS
CELSISSIME, Cœlum &
Natura tot tantaque in Te
congefferint ornamenta: Ge-
neris

neris nimirum nobilitatem, gravitatem morum, Sermōnis comitatem, affabilitatemque, aciem ingenii, maturitatem judicii, honorum & Dignitatum titulos, aliaque plurima, ob quæ laudibus quam maximè celebrandus, & summè observandus esses; Eminent tamen, & his omnibus decorem addit Virtutum tuarum dignitas, & splendor eximius, qui intuentium Te oculos animosque perstringit, & totos in Tui cultum & admirationem rapit.

Quare commendent alii sempiternæ gloriæ Illustrissimam Generis Tui profapiam, ex qua jam ante annos sexcentos Illustres Hassiæ To-

parchiæ progeniti, ac deinceps diversis in locis, arcibus, ac Dominiis Satrapæ, Præfecti, & prima quævis Officia palatina administrantes; Ex qua prognati Electorum, & Principum Consiliarii Intimi, & supremi Aularum Moderatores; Heroës quoque bello in Hungaria contra Turcas, & in Germania nostra contra Heterodoxos clarissimi; Ex qua demum electa sunt in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus diversis, prima Capitulorum Capita, Præpositi, & Decani, adeo ut nuperrimè admirata sit nostra hæc ætas se quatuor omnino Fratres ex Illustrissima hac WOLF-METTER-

TER-

TERNICHIORUM Familia
 uno eodemque tempore, ne-
 scio an aliquo exemplo, ad
 totidem Dignitates Decana-
 les in summis, & antiquissi-
 mis Germaniæ Ecclesiis eve-
 ctos conspexisse; Te videli-
 cet CELSISSIME PRIN-
 CEPS Paderbornæ, Fratrem
 alterum Moguntia, tertium
 Spiræ, & quartum denique
 Osnabrugi.

Suspiciant alii sublimium
 Dignitatum Tuarum orna-
 menta, & infulam, quibus
 certatim visæ sunt Ecclesiæ
 Cathedrales Hildesienfis hæc,
 & Paderbornensis Virtutes
 Tuas voluisse coronare. Me
 sanè plus afficiunt ipsæ illæ
 Virtutes, quæ Te ad hoc ho-
 norum

norum fastigium sine omni
 ambitu provexerunt. Quan-
 ta enim ambitione conten-
 dunt sæpe numero alii ad
 Prælaturas, & Dignitates adi-
 tum sibi aperire, tanto Tu
 studio & contentione, raro
 modestiæ documento, eas-
 dem declinasti, ut conqui-
 sitis etiam rationibus indu-
 cendus fueris ad aliquam bo-
 ni publici causâ acceptan-
 dam. In iis porrò Dignitati-
 bus, quibus licet perinventus
 passus es Virtutum Tuarum
 merita condecorari, quanta
 cum integritate, qua pruden-
 tia, qua fide & industriâ mu-
 nia Tibi commissa sustinuiſti?
 Certè Prælaturæ illæ non tam
 contulisse Tibi honorem,
 quam

DOMINI

quam à Te splendorem accepisse visæ sunt ; Fuit enim-
 vero,, cum Decanus Eccle-
 siæ Cathedrali ad Paderam
 præesses, vita Tua exemplar
 clarissimum cæteris in eadem
 Æde Clericis ad imitandum
 expositum. Moribus Tuis ex-
 primebas ea omnia, quæ in
 cæteris expressa esse oportebat ;
 Vigiliis Tuis aliorum in
 Ecclesia majore præsentiam
 fermè indies præveniebas, &
 si quos subinde è Clero Offi-
 cii sui immemores, & negli-
 gentiores animadverteres,
 quam suaviter, quam forti-
 ter ad suas quemque partes
 attrahere noveras ?

Jam vero postquam in An-
 tistitem Dioecesis omnium
 Or-

Ordinum applausu, & com-
 muni lætitia electus es, PRIN-
 CEPS CELSISSIME, qua sol-
 licitudine, qua prudentiâ pro-
 vides Ecclesiæ dignitati simul,
 & subditorum utilitati?
 Quam jucunda est Diœcesis
 istius facies, à quo Te in
 throno Episcopali conspiciat?
 Qua comitate omnes Te ade-
 untes excipis, & audis? Ne-
 mo, qui supplex ad thro-
 num Tuum accedit, repul-
 sam timet, nisi qui causæ suæ
 diffidit æquitati. Non est,
 qui acerbis se gravari queri-
 tur exactionibus; Non pre-
 muntur subditi, ut res Tuæ
 vel Tuorum augeantur. Nec
 equidem alienis opibus ditari
 quæris, qui sponte etiam à
 sub-

subditis oblata respuis. Quam
 mirifica porro charitate Tuas
 in egenos piosque usus opes
 distribuis? Nemo unus perdi-
 tum se calamitate & miseriis
 existimat, cum norint omnes,
 quem Pastorem sequantur,
 quem Patrem ament, & quem
 Principem venerentur; Idcir-
 co una prope omnium subdi-
 torum vox est, cum HER-
 MANNO WERNERO Epi-
 scopo suo novam Patriæ suæ
 felicitatem ortam, quæ ut oc-
 cumbat quam tardissimè,
 omnium pariter votum est, ut
 vita illius ævi sit longissimi, re-
 gatque in seros annos feliciter
 Princeps ille, qui totus conse-
 cratus est, inauguratusque
 VIRTUTI.

Hæc



Hæc est, DOMINE CLEMENTISSIME Magnes ille, qui animum meum, & hunc libellum ad se allicit trahitque; Præterquam quod multiplici nexu obstrictus sim ob Beneficia in me collata, ut hos Tibi labores, & ingenii mei qualescunque fructus offeram. Patere proinde REVERENDISSIME PRÆSUL, PRINCEPS CELSISSIME, splendorem Illustrissimi Nominis Tui lucere in fronte hujus, quem demississimè offero, libelli; Excipe æquo placidoque, quo soles, animo & vultu vilissimum hoc munusculum eum in finem Tibi destina-

℞(o ℞

stinatum, ut sit observan-
tiæ meæ tributum, & sub-
mississimæ venerationis mo-
numentum. Vale diu, &
Rege feliciter.

Hildesii 25. Januarii

1693.

CELSITUDINIS TUÆ

Infimus Servus

Hunoldus Plettenbergius.